

transgressionem legis, etiam levissimae, cum hoc formali contemptu factam, esse semper gravem. Nam profecto contemptus auctoritatis quae talis necessario recidit in Deum omnis auctoritatis fontem. Virtualis autem dicitur contemptus qui cadit in aliquid ab ipsa auctoritate diversum, ex. gr. in materiam quae videtur tenuior vel ridicula, in personam legislatoris seu praecipientis quae censemur singularis indolis vel ingenii retusi. Nihil est in tali contemptu quod per se grave peccatum involvat.

§ 6. DE RATIONE SATISFACIENDI LEGIS OBLIGATIONI.

109. PRINCIPIA. I. Lex prohibens seu negativa, ex. gr. "ne fureris, " impletur nuda omissione rei prohibitae. Inter leges autem praecipientes seu affirmativas distinguendae sunt *reales*, ex. gr. "debita sunt solvenda, et *personales*, ex. gr. "Sacrum die Dominica est audiendum." Piores implentur quacumque ratione res praestatur, ex. gr. debitum extinguitur etiam per occultam creditoris compensationem; posteriores vero non implentur nisi actu humano, et ideo ex. gr. non satisfacit pracepto qui Sacrum die Dominica prorsus violenter coactus audit. (n. 341) Cfr. S. Alph. n. 165; Lehmk. I. n. 151.

II. Ad satisfaciendum legis obligationi non requiritur ut aliquis ei satisfacere intendat; immo satisfit, etiamsi diserte hanc intentionem excludat, dummodo ponat opus quale praescribitur a lege. Ita legi ecclesiasticae satisfecit qui Missam die festo audivit, quamvis ignoraret diem esse festum, vel intenderet sacro ex mera dovitio interesse, postea satisfacturus.

Obligationi tamen quae e voto oriretur non satisfaceret qui actum ad quem teneretur, poneret cum expressa voluntate non satisfaciendi: quia talis obligatio e voluntate promittentis provenit, qui, sicut ab initio libere se debitorem constituit, sic libere in debito permanere potest. Satisfaceret autem qui opus quod vovisset, poneret, sed sine intentione expressa satisfaciendi. (S. Alph. n. 163 seqq.)

III. Neque requiritur ad satisfaciendum ut intendatur finis quem sibi, in lege ferenda, legislator praestituit. Ut enim habet sententia trita: *Finis praecetti non cadit sub praecetto.* (1. 2. q. 100. a. 9) Hinc satisfacit pracepto jejunii qui ex avaritia abstinet a cibo, et pracepto abstinentiae qui ex gula pisces delicatos optimo vino conditos comedit.

110. IV. Necessarium non est ad satisfaciendum ut lex impleatur in statu gratiae, nisi de contraria mente Ecclesiae constet, ut de ea constat

quoad communionem paschalem. Cfr. prop 16^{am} Baii a Pio V damnatam: "Non est vera legis oboedientia quae fit sine caritate. " Probe igitur distinguenda est legis impletio a merito: hoc enim sine caritate haberi non posse manifestum est. Satisfacit vero qui implet pracepti substantiam per actum qui ex fine vel circumstantiis sit peccaminosus, ex. gr. qui ob vanam gloriam jejunat vel confitetur. Et similiter impleri potest votum, licet ipse actus sit peccatum. (S. Alph. n. 162)

V. Plura praecpta *uno actu* impleri possunt nisi constet contrariam esse mentem legislatoris vel praecipientis: haec enim est omnis obligationis norma. Si de hac mente non constat aperte, attendendum est ad circumstantias ut ex iis intentio illa conjiciatur. Inter rationes autem potissimas conjiciendi novum opus imponi, hanc recensendam ducunt Salmant. (de Leg. c. 2. n. 150): quod eadem materia, a legislatore; prioris obligationis conscientia, iterum e diverso motivo imponatur. (Ball. P. n. 231) Sic norunt omnes non esse duo Sacra audienda, quando dies festus in Dominicam incidit; minime vero satisficeri dupli debito centum fr. unica centum fr. solutione. Cum enim in justitiae debitis attendatur aequalitas rei ad rem, nequit summa una centum fr. esse aequalis duobus centum fr. debitis: unde in his alia est intentio et mens se obligantis. (Bus. ap. S. Alph. n. 166) Neque *generatim* potest aliquis uno actu, ex. gr. unius Missae audizione satisfacere duabus obligationibus, quarum una e lege ecclesiastica, altera e poenitentia sacramentali oritur, eo quod alia solet esse mens confessarii poenitentiam imponentis.

Similiter potest aliquis eodem tempore pluribus obligationibus satisfacere *actibus diversis*, dummodo unus alterum non impediat. Ita poterit clericus, ad Horas canonicas obligatus, eas recitare dum Missae de pracepto audiendae interest. (Bus. l. c.)

VI. Qui praevidebat se impeditum iri per partem temporis quo impleri potest praecettum affirmativum, puta audiendi Sacrum die Dominica, tenet illud implere tempore apto et libero, puta audiendo Sacrum hora sexta si per reliquum mane Sacro interesse nequit.

A voluntate autem legislatoris, per verba legis vel consuetudinem manifestata, pendet solutio quaestioneis utrum, elapsa tempore quo aliiquid praestandum praecipitur, tota legis obligatio expiret, an adhuc perduret. Plerumque sane tempus indicatur ad finiendam obligationem, ex. gr. in recitatione breviarii, jejuniis, Sacri audizione, etc. De legibus in quibus videatur indicari tantum ad obligationem urgendam, suo loco dicetur.

§ 7. DE LEGIS INTERPRETATIONE.

111. DIVISIO. Interpretatio legis generice sumpta est declaratio sensus legis. Dividitur :

1^o In authenticam, doctrinalem et usualem.

Authentica ea est quam ipse legislator qua talis ejusve successor facit. Haec dicitur *comprehensiva*, quando declaratur tantum id quod jam in lege, licet obscurius, continebatur; *extensiva*, quando lex ad alium casum non comprehensum extenditur. Posterior nova indiget promulgatione, quia quoad extensionem factam novae legi aequivalet.

Doctrinalis dicitur ea quam, ope scientiae et experientiae, periti faciunt. De hac judicandum e regulis datis de extrinseca probabilitate. (n. 66) Manifestum est eam, si recte sit, fore comprehensivam.

Usualis tandem desumitur e ratione qua lex observatur, seu e consuetudine quae dicitur secundum legem. Inde tritum adagium : *Consuetudo optima legum interpres*.

2^o In strictam et latam : quae divisio potissimum ad interpretationem doctrinalem refertur.

Nempe verba legis saepe intellegi possunt dupli sensu quorum uterque est proprius, sed unus p[ro] altero plura comprehendit. Hinc *stricta* erit interpretatio, si verbis illis affigitur sensus minus latus; *lata*, si sensus latior eligitur. Ex. gr. in lege quadam, *vox clericorum*, interpretatione stricta, sumetur tantum de iis qui saltem prima tonsura initiati sunt; interpretatione lata, complectetur omnes personas ecclesiasticas. Similiter *vox religiosi* potest restringi ad solos regulares vel extendi ad eos omnes qui in congregatione votorum simplicium versantur, etiam novicios.

112. REGULAE INTERPRETATIONIS DOCTRINALIS.

Plures regulae ab omnibus passim AA. traduntur (S. Alph. I. 1. n. 200), quarum hae sunt praecipuae :

1^a Interpretatio potius *menti* quam verbis legis convenire debet. Nam "certum est quod is committit in legem qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem." (Reg. Juris ult. in 6^o) Mens autem legis colligitur tum ex materia legis, tum ex circumstantiis, praecipue ex ratione in lege posita et quae ejus *anima* a DD. dicitur. (Reiffenst. in l. 1. Decr. t. 2. n. 386 seqq.)

2^a Verba legis sumenda sunt in sensu proprio nisi aliud suadeat manifesta ratio, quae praesertim erit ne admittatur aliquid iniquum vel absurdum aut ne verba quaedam fiant prorsus inutilia. (Reiffenst. l. c. n. 389 seqq.)

3^a Regulariter lex non est extendenda, ob similitudinem vel identita-

tem rationis, ad casum qui, *sub lata verborum forma*, in lege non comprehendatur. Ratio est quod ad obligationem inducendam, praeter rationem justam, requiritur voluntas legislatoris; is autem omnino potest de uno disponere et non de alio, vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul jubere vel prohibere. (Schmalzgr. in l. 1. Decr. t. 2. n. 48)

Exeipe tamen casus in quibus legislator injustitiae vel imprudentiae argui posset si hujusmodi extensio, vel potius interpretatio, non fieret. Hoc autem praesertim contingit : *in correlativis* : sic lex quae maritum a debito reddendo eximit ob adulterium uxoris, interpretanda est ita ut ob adulterium mariti, eadem facultas detur uxori; — *in iis quae Jure aequiparantur*, ut sunt electio, postulatio et praesentatio ad beneficium; — *in conexis*, ita ut unum contineatur in altero, vel alteri subordinetur. Tunc enim applicanda Reg. 53^a Juris in 6^o : *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*. Sic qui cum illegitimo dispensare potest ad suscipiendum sacerdotium, potest etiam dispensare ut ordines inferiores recipiat. His et similibus casibus applicandum axiom : *Ubi eadem est ratio, eadem est Juris dispositio*.

4^a In materia *favorabili* verba late sunt interpretanda; in materia vero *odiosa*, stricte, juxta Reg. J. 15^{am} in 6^o : *Odia restringi et favores convenit ampliari*, et 30^{am} : *In obscuris minimum est tenendum*. Quae posterior sententia ita est intellegenda ut ubi, attentis omnibus, sensus legis manet obscurus, eligatur ille qui minus gravat.

Non semper ita facile patet quaenam legis dispositiones favorabiles, quaenam odiosae seu gravantes censendae sint. Si in eadem lege una pars favorem, altera odium continet, prior late, posterior stricte erit interpretanda. Quodsi duae illae partes ita sunt conexae ut ab invicem separari nequeant, tota lex censenda erit favorabilis et late interpretanda, quando primarius ejus finis est alicui favorem concedere, licet iste favor redundet etiam in alterius detrimentum; tota vero lex censenda erit odiosa et stricte interpretanda, quando finis ejus primarius tendit in alieujus detrimentum. Plerumque odiosae habentur leges poenales, irritantes, derogantes juri communi et pristinam libertatem restringentes. Attamen, etiam in poenalibus, interdum favor ab odio separandus est. Sic famosus canon, quo excommunicatione percelluntur clericorum percussores, late interpretandus est ubi agitur de personis ecclesiasticis in quorum favorem statutus est; stricte vero, ubi de injuria quae hac censura punitur. Cfr. Reiffenst. l. c. n. 437 seqq.

113. Huc quoque refertur usus *Epikeiae* (*ἐπικίνεια, aequitas*) quae est "benigna legum interpretatio secundum aequum et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris, ob suas circumstantias speciales, sub lege universaliter lata non esse comprehen-

sum. „ (Reiffenst. l. c. n. 378) Haec a legis interpretatione eatenus differt quatenus interpretatio *verba legis obscura* declarat, epikeia vero *mentem legislatoris* explicat, quando constat de universalis verborum sensu, dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularē ob certas circumstan̄ias voluerit vel potuerit sub generali locutione legis comprehendere.

Ex hac epikeiae natura liquet ejus usum ad solam legem humanam coartari. In hac autem, e communi DD. sententia, interdum applicari potest, quia legislator humanus attendere solet tantum ad ea quae frequenter contingunt; unde, in casu particulari, in quo iniquum vel saltem nimis difficile foret legi oboedire, praesumi potest legislatorem noluisse ut etiam ad talem casum lex sua extenderetur.

CAPUT III.

DE IIS QUAE A LEGE EXCUSANT.

114. PRINCIPIA. I. Obligatio legis positivae generatim desinit quando ejus observatio per accidens cum gravi damno vel incommmodo conjuncta est.

Quod ut melius intellegatur, juvabit notasse sequentia:

1º Non agi de lege naturali vel divina negativa, qua vetantur ea quae sunt proprio sensu intrinsece mala, ut blasphemia; includi vero omnem legem humanam, sive civilem, sive ecclesiasticam, immo et naturalem vel divinam affirmativam, ex. gr. legem restituendi bona injuste ablata.

2º Dici: *generatim*. Nam interdum, propter bonum commune, lex etiam cum gravissimo incommodo servanda est. Ex. gr. parochus tenetur lege residentiae, etiam cum evidenti periculo contrahendi morbi contagiosi. Cfr. n. 91.

3º In singulis legibus determinandum esse quam grave incommodum esse debeat ut ab iis servandis excuset. Hoc enim pendet a natura legis, intentione legislatoris et adjunctis peculiaribus. Plerumque leges negativae gravius incommodum postulant ad excusandum quam affirmativae, leges divinae gravius quam humanae. Sic in gravi necessitate non licet furari, licet vero retinere pecuniam alteri solvendam.

4º Necesse esse ut incommodum illud *per accidens* legis observationi conjungatur, non autem ex ipsa lege oriatur. Quaedam enim leges, ex. gr. lex divina integritatis in confessione, ex ipsa natura sua maximam habent difficultatem, quae proinde, in casibus particularibus, earum obligationem non tollit.

Ratio hujus principii, quatenus spectat ad leges humanas, in eo est quod lex debet manere moraliter possibilis: quatenus vero etiam leges divinas positivas complectitur, nititur prudenti *praeumptione* qua opinemur Deum nolle urgere legem suam ubi tanta difficultas plane extraordinaria omnino mutat adjuncta. Cfr. Lehmkuhl, I. n. 156. A fortiori excusat impotencia physica: siquidem ad impossibile nemo tenetur.

115. II. Per se nemo prohibetur quominus e territorio suo exeat et ita se subtrahat *obligationi particulari* quae in eodem vigeat, ex. gr. audiendi Missam in die festo patroni loci. (n. 95) Lex enim non obligat ut quis in territorio maneat, sed tantum ut, quamdiu in eodem remanet, legem servet. Similiter licet exire e territorio in quo vigeat lex communis, ex. gr. audiendi Missam in die Epiphaniae, et tendere ad alium locum in quo (ut in Belgio) ex privilegio illa lex communis vigere desiit. Qui enim sic agit, utitur jure suo se conjugandi cum parte communitalis quae privilegio donata est. (Lehmk. I. n. 159) Neque, in hoc casu, tenebitur ad Sacrum summo mane audiendum, si aliud tardius in eodem loco celebratur, modo hora ultimi Saeri jam versetur extra territorium in quo vigeat lex: nam „ si mansisset in loco ubi praecepsum obligabat, poterat differre ad id tempus; quando autem pervenit ad alium locum, desinit obligari. „ (Bus. ap. S. Alph. n. 157)

Immo etiamsi quis directe intendit ita effugere obligationem, nihil in honesti in hac voluntate reperitur. Duae tamen *exceptiones*, ob positivam S. Sedis dispositionem, attendendae sunt: scil. ne quis ex industria se in aliud territorium conferat ad vitandam legem de nullitate matrimonii clandestini vel ad absolutionem a reservatis accipiendo. Sed de his suo loco dicetur.

116. III. Si quis voluntarie causam posuit ob quam, licet subditus legi maneat, physice vel moraliter impossibilis fiat ejusdem observatio, non peccat quidem legem non servando (n. 114), sed interdum peccare potuit hujusmodi causam impedientem ponendo. Etenim quaelibet lex implicite obligat ad adhibenda media ordinaria et communia ut servari possit, qualia sunt adire hereditatem vel munere lucrative fungi ut debitibus satisfacere queas, comparare cibos licitos diebus abstinentiae, etc. Id enim manifeste continetur in obligatione procurandi finis. Igitur a fortiori obligatus lege tenetur ad non ponenda voluntarie impedimenta quae legis impletionem impossibilem reddant.

Difficillimum autem est determinare quandonam in hac causa ponenda peccetur. Ideo praestat a regulis generalibus abstinere et casus praticos solvere in singulis argumentis ad quae pertinent. Aliquas tamen generales animadversiones cum Sanchez (in Dec. I. 1. c. 15. n. 4) et